

A
8



caja 2 A=9 C=5

caja
CINISA 5

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA	
— GRANADA —	
Se'a	caja 2
Estante	
Número	8

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading.

COPIES
of

COPIES
of

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely from the 18th or 19th century. The text is mostly obscured by fading and bleed-through from the reverse side of the page.]



ASSERTIONES THEOLOGICAE

Caja 2-8(u)

QVÆSTIO PRINCEPS.

Quis fuerit Angelus custos sanctissimæ Virginis?



VOD Tenet communis sensus fidelium moraliter loquendo etiam si vnus, vel alter cætus repugnet id dicitur Catholica sentire Ecclesia: vnus enim, vel alter cætus, qualiscumque sit pro nullo reputatur, si in oppositam mentem vniuersi fideles conspirent, annuente Apostolica sede. Sanctissimæ Virginis ingressum in corpus sine vlla originis labe extitisse ab initio Ecclesiæ omnes fideles vnanimi consensu crediderunt, exceptis Parisiensibus nonnullis, & ijs qui Parisiensibus re nondum examinata duobus ferè sæculis crediderunt: quod cum parū sit, & solūm ex timore, aut reuerētia, pro ea dumtaxat Academia, & ad tēpus destinatū, respectu vniuersalis Ecclesiæ pro nihilo reputatur. Atque id dicimus pro testimonijs, quæ Turrecrem. & Bandellus, & Prouassius, & Grifaldus, & Montenigro, & Petrus de Vincentia, & Caietanus, & Canus, & Medina, & reliqui hætenus allegarunt pro sua opinione affirmatiua, quam tamen ideò nō declaramus censuram Theologicam mereri.

Libertus

- 1 Mariam anno decimo tertio inchoato ætatis suæ desponsatā credidit Petrus Cellensis ex Iuone Carnotensi lib. 9. ep. 9. & quisquis est author de mirabilibus scripturæ apud Augustinum: anno verò decimo quarto Annius, & Driedo; anno decimo quinto Euodius, Nicephorus, Chronicon Alexandrinum, & historia natalis Deiparæ apud Hieronymum; anno decimo sexto sanctus Epiphanius, & Vincentius Burgundus lib. 7. speculi historialis cap. 80. & Abulenſis in 2. Matth. quæst. 91. Anno decimo octauo Georgius Heruat. Verūm ex instituto Prædicatorum Albertus c. 39. in Missus est. Caiet. in 2. Lucæ, Auedanno in 1. Matth. pag. 53. anno vigesimo quarto ætatis suæ completo Mariam desponsatam arbitratur. Nolumus cum Catharino hanc opinionem Caietani aut periculosam, aut erroneam appellare: aliās tamen multo magis probamus quæ ante decimum nonum Virginis annum, & sponsalia, & partum Virginis collocarunt.
- 2 In singulis annis dubijs Conceptionis, Natalis, & Præsentationis sanctissimæ Virginis pium est, & sine periculo menses, Lunas, ferias, & solennitates concurrētes inuestigare iuxta principia Ioannis Marianæ opusculo de die necis Christi, & Pauli Guldin, quæ iam olim ex ordine Prædicatorio, vel supposuerant, vel sectati fuerant Ramancius Florentinus de correctione Calendarij, Nicolaus Cusa de reparatione Calendarij, Robertus Holcoth libro de motibus naturalibus, & effectibus stellarum, Ioannes Maria Florentinus de corruptione Calendarij; Gregorius Viennensis de eclipsibus Solis, Ioannes Maria de Tholosanis de emendatione temporum; & nouissimè hac nostra ætate Ignatius Dante, Baptista Bratescus, & Seraphinus Razzius eiusdem instituti.
- 3 Circumstantiæ temporum in quibus mysteria Christi, & matris acciderunt notata anni parte, feria, die, hora, & alijs adhærentibus non solūm ab antiquis Patribus illustrantur, verūm & ex instituto Prædicatorio à Magno Alberto super Missus est. S. Antonino 4. par. summæ, tit. 15. Iacobo de Voragine, Sancio Porta, Melchioro Puteo, Dominico Ioannis, Balthasare Sorionio, Siluest. & alijs innumeris eiusdem gremij, quibus familiare est has circumstantias obseruare, & amplificare.
- 4 Cūm plura miranda natalem Virginis præcesserint ex Anselmo 2. de Virginis excellentia, & alijs innumeris, probabile est nonnulla miracula, quæ in annis dubijs conceptionis, & ortus Virginis acciderunt, pro ipsius gloria fuisse patrata, vt illud de Sabbatico flumine in Palæstina, de quo cum Iosepho lib. 7. de bello Iudaico egit Rabbi Moyses latinitate donatus ab Augustino Iustiano Prædicatorij instituti. Rabbini hunc D. Thomas allegare consuevit.
- 5 Non sine mysterio est Mariam octaua Septembris die natam, & Ierolimam octaua Septembris die enersam, vt ait Iosephus 7. de bello Iudaico cap. 18.
- 6 Pium est expendere an Maria appetente aurora nata sit, quod ex quibusdam revelationibus scripsit Azor; p. 2. l. 1. c. 19. q. 8. vel nocturno tempore, quod ex alijs oraculis retulit Vincētius lib. 6. speculi historialis cap. 65.
- 7 Quod sanctus Vincētius in sermonibus de Conceptione, & Natiuitate Mariæ, Claudius de Rota legenda 126. cum Antonino, Sancio Porta, Iacobo de Voragine, & alijs quàm plurimis eiusdem instituti arbitrentur Deiparam in Nazareth, & credimus, & acceptamus.
- 8 Maria etsi fœmina potuit esse Nazarea ex 6. Numer. Qui ex professione Prædicatorum cum S. Vincentio serm. 1. & 2. de Natiuitate Virg. Damascenum, Nislenum, Metaphrastem, & alios sectantur in eo quod statuunt Annam, & Ioachim tempore vouisse, & obtulisse Mariam, vt olim vovit, & obtulit vtus Anna Samuelem, planè admittunt sanctissimam Virginem ex voto Parētum fuisse Nazaream, quæ ad modum de Samuele scripserūt Chriost. Tertul. Basil. Hieron. & alij à Gaspare Sancio allegati. 1. Reg. 1.
- 9 Quod Fœlix Faber in itinere terræ sanctæ, & plures alij eiusdem instituti Prædicatorij Mariam arbitrentur natam in Ierusalem, ideò est quia ordinariū terræ sanctæ à pluribus Romanis Pontificibus approbatum sæpius hanc veritatem perpetua traditione constantem ingeminauit; eandem palam etulgauerunt Damasc. orat. 1. de Natali Virginis. S. Brigitta lib. 5. reuelat. 13. Guillelmus Baldensel in Ho-deporicon, Leo Romistal, & Cotouicus, & plures alij in itinerarijs.

conceptionem

10 Nonnullæ peregrinationes Mariæ in montana Iuda, in Ierusalem, in Betleë, in A Egyptum, in Asiã, & in obsequium templi ex Euangelijs, & Ephesino Concilio innotescunt. Plurimæ item circumstantiæ locorum, & temporum, tum in eisdem sacrosanctis scriptis, tum in monumentis Patrum continentur.

11 Quod Maria exul in A Egypto, Hebræis inimica prouincia, non vltra triennium commorata fuerit, communis huius ætatis opinio est; olim Doctores plerique ad quinquennium, aut septennium hoc exiliũ prorogabant. Loca ibidem locis cõmutabat, vt S. Thomas, Albertus Magnus, & Hugo in 2. Lucæ. Brocardus in descriptione A Egypti, Ludolphus primũ Professus Prædicatorij ordinis, tandem Carthufiensis 1. p. vitæ Christi à c. 13. vsque ad 17. & alij innumeri docent, diuisiue consignantes Hermopolim, Babylonem, Cairum, Heliopolim, Alexandria, & alias A Egypti vrbes. Fugã mari initam, reditum verò terrestri itinere susceptũ, aut è contra, Eudocia Imperatrix, Maior, & graues quidã Doctores scripserũt.

12 Mariam post reditum ab A Egypto annis viginti supra quinque, aut supra septem, desertã Nazareth proficisci consueuisse Ierolymam cũ sponso, & filio, vt tribus saltem vicibus quotannis ibi cõpareret, docere plurimĩ præsertim ex Prædicatorio instituto cum S. Vincentio serm. 4. Dominicæ infra octauã Epiphaniæ, S. Antonino 4. p. summæ, tit. 15. cap. 36. Alberto Magno super Missus est, & alijs innumeris. Quod si morem gentis, & circumstantias temporis, & scripturas Canonicas, ac sanctorum Patrum interpretationes scruteris, inualida est à nonnullis illata sequela de absurdo, fieri ex hac tantorum virorũ doctrina Mariam singulis annis ter euntem, & ter redeuntem à Ierosolyma in Nazareth supra 4600. leucas horarias viginti & septem annorum spatio pergrassisse. Nihil est absurdi in admisione sequelæ. Verissimè scripsit Hugo in 2. Lucæ de mulieribus non erat præceptum comparendi ter in anno, sed si comitabantur viros suos bonum erat.

13 Maria toto tempore prædicationis Iesu cum alijs mulieribus, quæ ministrabant de facultatibus suis, filiũ sectata est; quod iam olim docuere Epiphanius, Augustinus, Ildephõsus, Metaphrastes, Euthymius, Bernardus, Guarricus, & Nicephorus, à Christophoro Castro allegati in historia de Deipara cap. 15. & Modestus Patriarcha à Photio laudatus. Eidem sententiæ expressiũs subscripserunt ex professione Prædicatoria, S. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 17. illis verbis: *Pro certo teneas quod ubicumque Christus erat, vsque ad illa Multò magis semper ambulauit Maria vbi Christus orabat, vbi docebat, vbi prædicabat, miracula faciebat, &c.* in quibus sectatur Albertum Magnum, & Ioannem Dominicis super Magnificat, & præcipuè S. Vincentium Ferr. serm. 1. ab illis verbis: *Quando Christus ibat ad prædicandum Virgo Maria sequebatur sermones suos.* Ex illustrissimis vaticinijs Isaia, & scripturarum noui testamenti hæc peregrinationes Mariæ, & fœminarũ sectantium vestigia Christi, & Apostolorum, cõmendationẽ habent.

14 Mariam Virginem ante Assumptionẽ in cælum, Ephesum Asiæ metropolim sua præsentia illustrasse, certissimum est propter firmum, & apertum sancti Ephesini Concilij testimonium in epistola synodica; neque id vnquam negauit Epiphanius.

15 Quod Maria post Christi in cælum ascensum loca filij vestigijs illustrata frequenter inuiserit, iam olim Sophronius, S. Ildephõsus, & alij in sermonibus de Assumptione adnotauere. Ex Alberto Magno, Vincentio Beluacensi, & Ioãne Dominicis, S. Antoninus 4. p. summæ tit. 15. c. 43. illa verba desumpsit: *Aliquando Beata Maria visitabat loca in quibus filius fecerat aliquod opus mirabile contemplando illa sacra mysteria; aliquando in Nazareth ibat ad locum vbi fuerat annuntiata, aliquando in Betleem, aliquando in fluiuium Iordanis, &c.*

16 Quod ex quibusdam epistolis sub nomine Ignatij Martyris quibus fidunt Bernardus in Ps. Qui habitat, & ex instituto Prædicatorio Antoninus titulo allegato, & Paludanus enarrat. 1. in Euãg. Visitationis, nonnulli aut coniecturam faciant, aut suspicentur, aut credant Mariam sua mortali præsentia Antiochiam illustrasse, & pro solatio, & exemplo fidelium aliàs vrbes pergrassisse, non sine pietate dicitur, nec sine grauissimo illius ætatis documento. Fuere olim viuentẽ Christo, & Apostolis hæc fœminarum itinera summis laudibus digna, vt expendunt Patres cum Chrysost. in 16. ad Romanos; ijs sæculis ex mutatione regionũ, & morum rarissimè hæc profectioes mulierum sine scandalo contingere potuissent.

17 De mysterijs senectutis, & sterilitatis parentum Mariæ per mysticos, & morales sensus nõ sine laude, antiqui Patres, nouiq; Doctores tractauerũt. Quod S. Vincetius serm. 1. & 2. de Natiu. Virginis, & alij eiusdem instituti arbitrantur, Annã Deiparæ genitricẽ impotentia ex frigiditate laborasse; quod S. Germanus de Virginis Præsentatione, & alij plures clausam Annæ vuluam dixere, vt Ioachimi semen excipere non potuerit ante conceptum Virginis; quod alij in hanc rem sub coniecturis, & formidine dixerunt, certè inter arbitraria, & adiaphora, & coniecturalia numerare oportebit.

18 Argumentũ Gabrielis Archangeli quo exponit possibilitatẽ cõceptionis Iesu ex Virgine adolescẽte, & fœcunda, ab exẽplo Ioãnis cõcepti à duplici parẽte sterilitate, & senectute impedito, nõ est argumentũ à minori, quod benè cũ alijs probat Salmeron tom. 3. tract. 8. Ex instituto Prædicatorũ, Hugo in 2. Lucæ, Antonin. 4. p. tit. 15. c. 17. & alij recipiũt glossã illã Ambrosij, *Gabriel, Maria credẽti quæ audierat, ampliora replicat miracula*, idest extẽsiuè maius miraculũ in cõceptione Ioannis representatur, quã in cõceptione solius humanitatis Iesu. Addit Salmerõ nõ improbãdo, *Sũt qui cõsiderẽt duplicẽ impotentia generãdi in fuisse Elisabetha, nẽpẽ sterilitatis, & decrepita ætatis; in Maria verò vnã tantũ virginitalis extitisse.* Hæc sanè, & alia, quæ præfati Doctores, & plures alij meditãtur, maiorẽ habet energiã pro cõceptione Mariæ ex Ioachimo, & Anna quadruplici impedimẽto senectutis, & sterilitatis impeditis.

Lib. secundus

19 Preces, & desideria quibus in lassa, & sterili senectute Ioachimus, & Anna, Zacharias, & Elisabeth sobolem postulabant à tentatione Dei fuisse alienissima ex pluribus commentarijs in 1. Lucæ innotescit; & sigillatim ex diuinis oraculis, quæ Ioachimo, & Annæ de habenda sobole intimabantur.

20 Miracula pluuiarum à Iosepho lib. 15. antiquitatũ memorata in extruccionẽ tẽpli Herodiani, cũ in anni

annis dubijs cōceptionis Virgineæ accidisse constat, pro gloria ipsius prope sanctuariū nascituræ facta esse dicemus. Prodigium aliud de Probatica piscina, quod paulò antè ortū Christi cœpisse credit Blessensis serm. 1. & Pereira in 5. Ioan. disp. 7. & alij plures, similiter inchoatū dicimus pro Maria in vicina domo nascituræ: atq; idem est iudicium de portentis alijs ex prædictionibus, promissionibus, prophetijs, & ostentis elementorum, mixtorum, & corporum superlunarium, quæ eo tempore contigerunt.

21 De Iosepho sponso Virginis in utero matris ab originaria labe mundatum fuisse scripsere plures, ex instituto Prædicatorio cum Isidoro Isolanis, & Bernardo Lucemburg in libris de sancto Iosepho, & Margarita confessorum per Dominicum Baltanas, quæst. vltima ex moralibus, Thoma Truxillo in vita de sancto Iosepho, quibus subscribere plures è Societate Iesu cum Canisio lib. 2. c. 13. Salmer. tom. 3. tract. 30. Quoniam verò grauiores Doctores hoc præuilegium ideò tributum Iosepho estimant, quod futurus esset domesticus, & commensalis, & socius Iesu, & Matris, ideò sunt qui examinent vtrum in opinione Abulensis, & aliorum, qui Ioachimū, & Annam plures annos fuisse domesticos, & commensales, & socios Virginis, & Christi arbitrantur, similis assertio locum habere queat: præsertim si aliunde illustrius sit Ioachimū, & Annam naturaliter genuisse Mariam, quam Iosephum voluntariè ad sponsi prærogatiuam adscitum fuisse.

22 Si Ecclesia probabile, aut verisimile arbitretur Catharini placitum libro de prædestin. & aliorum, ab omni veniali culpa Ioannem liberantium: etsi probabile sit, quod EKius de prædestin. centur. 3. similiter arbitrat de Iosepho, erit qui expendi velit, vtrum probabile fiat, similem gratiam Mariæ parentibus impensam, dum tamen opinio eorum acceptetur, qui ipsos viginti saltem annos post Christi ortum supervixisse arbitrantur.

23 Quod sancta Brigitta 1. reuel. cap. 9. & plures alij cum Galatino 7. de arcanis, & Dionysio Carthus. lib. de laudibus Virginis art. 6. existimarunt, Annam, & Ioachimū conuenisse quidem, & humano more generasse Mariam, at sine concupiscentia voluptatis, aut sensu vilo libidinis, argumentum magnum præstat, vt expendatur, an probabile sit factum esse, quod fieri potuisse cum Mariæ parentibus fateatur, S. Thomas in 3. dist. 3. vt paulò ante conceptum Virginis non solū haberent sanctitatem personalem, quæ nūquam post ortum illis defuit; verū & sanctitatem naturæ per originalem iustitiam, quæ ex Dei beneplacito biduo saltem, aut triduo ante conceptionem Virginis ipsis tribueretur Quod si ita esset ex vi talis formationis à parentibus in tali statu positis videndum an implicaret cōtradictionem Mariam habere debitum proximum, vel subiectiuum, vel personale originalis peccati, quod ex alijs capitibus negant habuisse Ferrara, Enriquez, Aegidius à Præsent, & alij.

24 Maria non casu fuit primogenita, & vnigenita parentum. In septuagenaria ipsorum ætate iuxta communiorum Doctorum sententiam concepta fuit. Ex veterum monumentis quibus sæpè, & constanter ea in re subscripsit Abulensis super 1. & 2. Matth. Anna, & Ioachimus etiam post ortum Christi diu fuere superstites. Reuelatio Sabbæ Abbatis in Patriarcha Ierosol. Ximeno lib. 2. cap. 241. Annam completo vigesimo anno Iesu mortalis defunctam fuisse memorat. Quotquot fuere propinqui sanguine Mariæ, siue ex naturæ vigore, siue ex singulari beneficio Dei longissimam vitam produxerunt. Simeon Cleopha, cognominatus frater Domini centum & viginti annos; Iacobus minor eiusdem cognominis nonaginta sex annos vixere, ex Breuiario Romano, diutius victuri, si nō violenta morte opprimerentur. Ioannes Euangelista cognatus Domini centenarius moritur; Seruatus nepos Eliud fratris Elisabeth vltra centurias tres annorum vixit, si fides adhibenda Actis Celestini 3. & Sigiberto in Chronico, & Petro de Natalibus, & Doctoribus non paucis instituti Prædicatorij cum Claudio Rota in vita Seruati. Passim exempla diuturnæ ætatis occurrunt in Elisabeth, Martiali, & alijs contanguineis Christi. Iosephī Iudæi tempore plures centenariam ætatem excedebant vegeti, & incolumes, vt ipse testatur lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. & longe post mortem Domini Narcissus Hierosolymitanus 4. Kal. Nouembris, moritur completis annis centum & sedecim, ex Adone in martyrologio. Duobus sæculis ante ortum Ioachimī Eldras annis completis centum quadraginta; & Mardochæus annis centum septuaginta exactis mortui fuere, vt ex communi interpretatione elicit Gretserus lib. 1. defensionis controuersie de verbo Dei cap. 7. Quæ omnia exempla, & grauiora alia documenta muniunt opinionem eorum qui Ioachimū, & Annam diu post ortum Christi obiisse iudicant. Si centenarij moriuntur, quod serè solenne fuit consanguineis Domini non violenter occisis, annis quindecim Christo conuixerunt Mariæ parentes, & quò amplius iuxta varias opiniones eam ætatem supergrediuntur, diutius cum mortali Iesu vixisse constat. Bernardus Lutzemburg, & Isidorus Isolanis in libris de sancto Iosepho, & Alfonso Gyrò serm. de sponso Virginis, & Margarita confessorum quæst. vltima, & alij ex eodem instituto Prædicatorij, quibus subscribunt plerique ex Societate Iesu, arbitrantur pium, & probabile Iosephum sanctitate interna Apostolos superasse; quia cū esset sponsus Virginis lōgiori tempore fuit domesticus, & commensalis Christi. Hoc documento instructi disputant nonnulli, an probabile sit Annam, & Ioachimū, etiam Apostolos in sanctitate interna superasse; quia cū essent Parètes naturales Virginis, & proximi Aui Christi Iesu, diutius fuere ipsorum domestici, & commensales. Hoc dubium eò angustius vrget, quo à Suario tom. 2. in 3. p. disp. 8. sect. 2. & alijs dictum constat vniuersales propositiones de primatu Apostolorum in sanctitate interna non intelligi de singulis qui cum Christo vixerunt, & Apostolis fuere contemporanei.


25 Ius regni temporalis Israël, ex Dominico Baltanas in Margarita confessorum quæst. vltima, Bernardo Lutzemburg, & Isidoro Isolanis, & alijs Prædicatorij instituti Iosepho conueniebat, verū eam actionem in regnum propterea tenuit, quòd illibata Virginis sponsus esset, cui vt vnigenitæ Ioachimī bona incorporata erant debita, idest iura ad regnum, at cum opere nubendi propinquiori consanguineo in paterna linea, vt grauiorum interpretum mens ex 27. & 30. Numerorum declarare consuevit.

Ad

- 26 Ad Mariam utpotè vnigenitam, immobilia, mobilia, femouentia, & aduentitia parentum bona pertinebant, quocumque modo lex Mosayca ferebat siue à Iobilaio in Iobilaum, siue in perpetuum illis se abdicaret Maria. Parentum sepulcrum in Gethsemani, pietatis paternæ causa, & pro sepeliendo tum Iosephi corpore, tum suo, vlla sine labe Evangelicæ paupertatis retinuit, nunquam eo vendito, locato, aut alienato, aut distracto in temporales vsus.
- 27 Cùm Maria vnica esset hæres Ioachimi, debuit ex lege propinquiorem virum habilem ex paternâ linea sponsum eligere, vt præcepto Numerorum 27. & 36. secundum veriore intelligentiâ satisfaceret. Propterea Matthæus cùm Euangelium Hebræis scripserit, quibus notissimū erat Mariam vnica esse hæredem parentū, meritò arbitratus est Mariam lege coactam nupsisse Ioseph, & sic ductâ genealogia Iosephi illam quam à Ioachimo Maria habuit, clarissimè innoscere. Quæ in expositione sequimur Thomistas plures cum Bartholomæo Medina illam approbante 3. p. quæst. 28. Maldonatum, & alios apud Vazquez disp. 127. pro qua sunt ex modernis plurimi cum Mariana, & Luca Brugensi, ex antiquis vero plerique Patres, & Doctores.
- 28 Mariæ temporalis nobilitas dignitate, antiquitate, & prærogatiuis omnem omnium sæculorum temporalem nobilitatem supergressa est, nec personalis paupertas, aut mediocris parentum census, aut fabrilis munus Ioseph ipsam obscurauerunt.
- 29 Si quod Iosephus 2. antiq. de Iochabel matre Moysis, & Thomas de Kempis, cum alijs eiusdem instituti de matre S. Liduinæ scripserunt, eas sine dolore peperisse verum est, æquius idem priuilegium pro Annæ partu dicendum erit. Piè credimus Fulberto in 2. Matth. & alijs pluribus dicentibus Mariam cum eximio corporis fulgore natam. Assentimur Hildefonso serm. de Natiuit. Virg. scribenti: *Maria Virgo non sic est nata, sicut solent pueri, & puella nasci*, idest, non illis grauata incommodis, quæ appendices sunt, & additamenta culpæ originalis. Similitè credimus illam, & Iesum quibus perfectus inerat sensus, & cognitio, & libertas ab ipsa conceptione non ex solo impetu naturæ, verum & sponte natos. Admittimus illud S. Hildefonsi serm. de Natali Virg. *Nascitur Maria extra consuetudinem mulierum: mundo corde, & corpore ab omni pollutione carnali orta est*. Ea quæ de ortu S. Edmundi in Bulla canonizationis ipsius, & in libro 31. speculi historialis Vincentij Burgundi scripta sunt circa munditiem partus matris, & natalis ipsius, æquiori iure admittuntur pro Annæ partu, & Mariæ ortu, qui morem status iultitiæ originariæ, si durasset, magna ex parte æmulati sunt. Verè S. Hildefonsus apud Vazquez disp. 121. c. 5. ex cõmuni sententiâ scripsit; legè, sub qua nũc mulieres pariunt, non esse legè naturæ, sed culpæ.
- 30 Corpus Iesu vnico contextu productum sine successione temporis, & Mariæ corpus etiam in momento formatum, nihil à cælorum influxu pro conditione prima receperunt, si admittitur communis illa Philosophia, quæ adstruit ex D. Thom. 1. p. q. 70. art. 3. & in 2. dist. 2. q. 2. art. 3. *Cælum nihil influere nisi per motum*, idest successiuè.
- 31 Maria Angelorum custodiã pro remouendis extrinsecis hominum, & dæmonum incommodis munita fuit, non pro auertendis cogitationibus prauis. Quod S. Bernardus epist. 77. Petrus Dam. orat. 1. de Natali Virginis. S. Hildefonsus serm. 5. de Assumptione Gabrielem Archangelum custodem Mariæ credunt; alij verò Michaelem ex reuelat. S. Gregorij Nazianzeni apud Ximenium Patriarcham lib. 2. alij verò alios, sic compones, vt plures simul habuerit propter dignitatem personæ. Neque tamen omnem omnino custodientem Angelum ei deneges, cùm Francisci Mayronis, Odonis Cameracensis, & aliorum sic opinantium sententiâ.
- 32 Nomina I E S V, & M A R I Æ quædam sacramentalia sunt ex institutione diuina, quæ inuocata, aut scripta quasi ex opere operato miros effectus perficiunt quatenus, vel ad nostram, vel ad aliorum salutem expedit. Nostra esse volumus, quæ similitè grauiore Thomistæ de signaculo Crucis, & IESV nomine dixerunt cum Gretsero lib. 4. de sancta Cruce, & Serario in cap. 2. Iosue, q. 14. Dei nomen in ipso Mariæ nomine continetur, & non rarò efficacius in Mariæ voce, quam sine illa operari consuevit, vt iam olim Anselmus indicabat.
- 33 Maria octogesimo die infantia suæ ritu aliarum oblata est, & sacramento legis naturæ donata cum ea gratia ex opere operato, quam alia femina accipere consueuerunt: eam tamen multò intensiorem ex diuina benignitate recepit. Sectamur pro hoc articulo cõmunem Scholasticorum opinionem apud Vazquez 3. par. disp. 119. cap. 7.
- 34 Probamus, & sectamur quod authoritate Sixti IIII. Oliuerius, Ioannes, Georgius, & Gabriel Cardinales S. R. E. decreuerunt, conclusionem illam, *Iustitia originalis in B Virgine Maria est ex natura, non ex gratia*, esse hæreticam, & supponimus quod ipsi supposuerunt, probabilissimum esse Deiparæ ab initio collatam ex gratia Dei originariam iultitiã, quoad omnes effectus intrinsecos animæ, & corporis. Præterea probamus, & sectamur eiusdem sanctæ sedis iudicium per eosdem intimatum, quo sancitur in cõtrarijs opinionibus Catholicorum Doctorum iam à pluribus annis permissis, esse temerarium, præsumptuosum, & pœnã dignum eas de mala nota traducere, aut quoquo modo infamare, præsertim si dignitati B. Virginis in aliquo detrahere non videantur, sed eam potiùs extollere. Quod iudicium expressit Diagus instituti Prædicatorij lib. 1. cap. 33.

Numerus duorum taxat hanc viginti pertinet ad Librum tertium Churidarj. ceteri continent numeros et singulas propositiones primi libri et secundi.

Vidit D. D. D. Annuntius de Antiochia Turcomanica, & Pateranensis.
~~*Vidit D. D. D. Brunsius, & alii, Vespertinus*~~





Propositiones

10

10



55



CAJA
2-8